

Cat. 10 - 224. A.

SYNOPSIS METAPHYSICÆ 22415

D. D. ANDREÆ GUEVARA.

DISPOSITA

*A MICHAELE CARRERA ET SOL,
in Universitate Cæsar-Augustana Sac.
Theol. Doct. Reg. Sem. Conc. Ss.
Valerii et Braulii ejusdem perpetua
Moderatore; ac Moratæ Xalonis
Rectore.*



nr. 20670 "

SUPERIORUM PERMISSU:

Cæsar-Aug. Apud Franciscum Magallon,
Anno 1830.

17. 18. 19. 20.

21. 22. 23.

24. 25. 26.

27. 28. 29.

30.

TRACTATUS METAPHYSICÆ

PROLEGOMENA.

- Q.** Quid est Metaphysica? **R.** Scientia, quæ tradit notiones, causas et rationes genericas rerum æternarum factarum, et possibilium.

Q. Quare est scientia universalis? **R.** Quia omnes scientiæ, ab ipsa sua principia mutuant.

Q. Quot sunt partes Metaphysicæ? **R.** Quatuor, Ontologia, Cosmologia, Psycologia, et Theologia naturalis.

Q. Quid est Ontologia? **R.** Ea pars Metaphysicæ, quæ tractat de ente generatim ejusque affectionibus.

Q. Cosmologia? **R.** Quæ contemplatur rerum mundanarum qualitates intelligibiles.

Q. Psycologia? **R.** Quæ continet tractatum spirituum, et rerum immaterialium.

Q. Theologia naturalis? **R.** Quæ tractat de his, quæ de Deo lumine naturæ assequi possunt.

Disquisitio præliminaris de principiō cognitionis.

Q. Quid est primum principium cognitionis? R. Illud, quo negato, cætera axiomata corruunt; quo admisso, si cætera negentur, per illud saltem indirecte demonstrari possunt.

Q. Quodnam ergo erit primum cognitionis principium? R. Contradictionis, seu non potest idem simul esse et non esse. Nam hoc negato cætera ruunt: hoc posito, cætera probantur per illud: et certe admisso quod possit idem simul esse et non esse, ruit *ego cogito, ergo sum*; cum possim simul cogitare et non.

Q. Plura axiomata ab illo non pendent? R. Pendunt demonstratio ab illo, si negentur.

Q. Propositio affirmativa demonstrari non potest per negativam, qualis est contradictionis. R. Certe non potest propositio affirmativa demonstrari directe per negativam, bene vero indirecte.

Q. Propositio simplex est prior composita, *totum est majus etc.* est simplex, contradictionis principium comp̄posita. R. Simplex est prior composita in ordine propositionis sed non in ordine ad demonstrationem.

§. 2. *De principio rationis sufficientis:*

Q. Quid est ratio sufficiens? R. Causa cur
res potius sit, quam non sit.

Q. Quotuplex est ratio sufficiens? R. Tri-
plex *possibilitatis*, seu cur res sit possibi-
lis: *existentiae*, seu cur existit: et *cog-
nitionis*, per quam cognoscimus rem.

Q. Est aliquid in mundo sine ratione suf-
ficienti cur potius sit, quam non sit? R. Ni-
hil, quo in modum cumque res existat, ponen-
da est ratio cur existat, quam non; alio-
quin eodem affirmari poterit de ipsa quod
existat, quam non, quod est absurdum.

Q. Nonne Deus est causa sufficiens creatu-
rarum, qui ab æterno existens, nullam
ante tempus produxit? R. Deus est ratio suf-
ficiens creaturæ, pro tempore quo decre-
vit producere: sic creaturæ non sunt ne-
cessariæ, quia non habent rationem suffi-
cientem necessariam; sed solus Deus, qui
necessario existit.

Q. Quotuplex est ratio sufficiens? R. Du-
plex interna, quæ in se ipso habet ratio-
nem sufficientem: et externa, quæ illam
habet in alio ente.

Q. Non possumus assignare rationem suffi-

cientem. R. Sed non ideo neganda, plu-
rima enim latent.

DISSERTATIO PRIMA.

De Ontologia.

CAPUT I.

Notiones entis generales.

§. I. *Ens, essentia existentia.*

- Q. Quid est ens? R. Id omne quod exis-
tit, vel potest existere: si actu existit
dicitur actuale: si potest existere poten-
tiale.
- Q. Quid est ens fictum? R. Delirium phan-
tasiæ, ut Horatii monstrum.
- Q. Quomodo vocatur ens fictum? R. Ens
rationis sine fundamento.
- Q. Quid est ens fictum cum fundamento? R.
Illud, quod licet in rebus non existat,
præbet tamen fundamentum intellectui il-
lud sic concipiendi, ut genus, species.
- Q. Quid est ens possitivum? R. Quod ve-
ram existentiam habet, aut habere potest.
- Q. Negativum? R. Quod existere non potest.
- Q. Privativum? R. Quod in subjecto apto

non existit , ut visus in cœlo.

Q. Quid est essentia ? R. Illud per quod res est quod est , et non aliud.

Q. Quotuplex est ? R. Triplex , physica , metaphysica , et logica.

Q. Quid est essentia physica ? R. Comple-xio omnium proprietatum , quæ in natu-ra cujusque entis invenitur.

Q. Metaphysica ? R. Est illud attributum , aut attributa , ex quibus reliquæ proprie-tates fluere videntur.

Q. Logica ? R. Quæ ex genere proximo et ultima differentia componitur.

Q. Aliquod ens potest amittere essentiam ? R. Minime , nam si illam amitteret , non esset quod est.

Q. Essentia intelligibilis est æterna ? R. Ut-i-que , ab æterno ens est id quod est.

Q. Essentia est immutabilis ? R. Ens non potest aliam essentiam accipere , non enim esset quod est.

Q. Possunt demonstrari à priori notæ , quæ essentiam constituunt ? R. Minime , sed solæ quæ ab ea diminant , ut animal ratio-nale ; ergo capax ridendi.

Q. Possumus cognoscere essentias rerum ? R. Essentias entium abstractorum possumus cognoscere perfecte , ut objecta geometriæ;

phicas non nisi imperfecte, quia sunt in rebus paucæ notæ, quas cognoscere perfecte possimus.

Q. Quid est status essentiæ intelligibilis? R. Ipsum objectum cognitionis divinæ; prout in mente Dei attributa constituentia essentialiam, aliquod esse logicum habent.

Q. Quid est existentiæ? R. Complementum possibilitatis, seu ens de quo dicitur in natura reperiri.

Q. Existentiæ est quid distinctum ab essentiæ? R. Minime, nam importat actionem Dei, qua essentia transfertur de non esse ad esse.

Q. Ergo existentiæ erit necessaria, æterna, sicut essentiæ? R. Nullo modo; est enim contingens mutabilis; quia per existentiæ res eadem est; status rei, est aliud: per actionem Creatoris, res mutatur à statu intelligibili ad statum existentiæ.

§. 2. *Attributa, et modi.*

Q. Quid sunt attributa? R. Notæ illæ, quæ ab essentiæ profluere concipiuntur: et dicuntur proprietates essentiales, quia in essentiæ habent rationem existentiæ suæ.

Q. Ergo attributa necessario insunt essentiæ

et abesse non possunt? R. Ita est; et sunt necessaria, æterna etc.

Q. Quid sunt modi, seu accidentia? R. Notæ, quæ nec constituunt essentiam, nec ab ea diminant, et in illa possunt esse, et abesse.

Q. Ratio sufficiens modorum est in essentia?
R. Minime; nam tunc possita essentia, modi ponerentur, et non possent abesse; ergo extra essentiam ratio debet esse.

CAPUT II.

Entis possibilitas et impossibilitas. Notiones possibilis, et impossibilis.

Q. Quid est possibile? R. Quod nullam involvit contradictionem, seu cuius essentia à statu intelligibili, ad actualitatis transferri potest.

Q. Quotuplex est possibilitas? R. Duplex, intrinseca et extrinseca.

Q. Quid est possibilitas intrinseca? R. Concordia constitutionum, ex qua entis non repugnantia ad existendum oritur.

Q. Extrinseca? R. Quæ sita est in causa producente, à qua res transfertur à potentia ad existentiam.

Q. Impossibile quid est? **R.** Quidquid contradictionem involvit, ut circulus quadratus.

Q. Ergo ex existentia bene arguitur ad potentiam? **R.** Ita est, sed non ē contrario; ex quo res sit possibilis non concluditur ejus existentia.

§. 2. Possibilitas rerum intrinseca rursus examinatur.

Q. Quid judicavit Cartesius circa possibilitatem rerum? **R.** Ideo res esse possibles, quia Deus voluit seu decrevit.

Q. Quid tu sentis? **R.** Rerum possibilitatem intrinsecam non pendere á voluntate Dei, sed á concordia constitutivorum essentiam componentium. Nam si penderet á divina voluntate, posset facere quod contradictionem involveret: essentiæ rerum sunt immutabiles: ab his ergo, et non ab illa pendet possibilitas.

Q. Si possibilitas non penderet á voluntate Dei, hæc penderet ab illis. **R.** Penderet á possibilibus tamquam á termino extrinseco suæ actionis, quod non est imperfectio; sed non pendet tamquam ab adjuvante.

Q. Res non possunt habere concordiam notarum nisi á voluntate Dei. **R.** Et cer-

te in stato physico non possunt habere concordiam, sine Dei voluntate; sed possunt habere illam in statu intelligibili.

Q. Rerum possilitas existit ab æterno? **R.** Possibilitas logica existit ab æterno, non vero possilitas physica.

Q. Nihil æternum admitti potest præter Deum etiam logice: nam nihil infinitum potest admitti etiam, præter Deum. **R.** Infinitudo logica admitti non potest, non quia præcise est attributum Dei, sed quia hæc necessario arguit physicum statum. At infinitudo logica est possibilis, quia eo ipso quod sit possibilis, existere physice potest,

CAPUT III.

De generalibus entis affectionibus.

Q. Quot sunt affectiones entis dictæ proprietates trascendentales? **R.** Tres: *Unum, Verum, Bonum.*

§. 1. De veritate entis.

Q. Quid est veritas entis metaphysica? **R.** Conformatas entis cum sua essentia, seu eum imagine in Deo repræsentata.

§. 2. *De entis bonitate.*

Q. Quid est bonitas metaphysica? R. Est illa per quam ens constituitur perfectum in sua essentia, seu nihil deest, ut sit perfectum.

Q. Quotuplex est perfectio? R. Duplex, essentialis et accidentalis.

Q. Quid est perfectio essentialis? R. Quæ modo definita est.

Q. Accidentalis? R. Quæ potest abesse salva essentia, sed perficit ipsam, v. gr. vigor &c.

Q. Quid est perfectio comparativa? R. Quæ includit majorem numerum notarum accidentalium.

Q. Quid est unum? R. Quod non est divisum in plura, ut acervus tritici, et dicitur unitas per aggregationem.

Q. Quid est unitas absoluta? R. Quæ in minora dividi non potest.

Q. Quid est individuum? R. Indivissum in se, et divisum ab aliis.

Q. Quomodo vocatur unitas individualis? R. Numerica, per quam ens constituitur unum numero in sua specie v. gr. Petrus.

Q. Quid est unitas specifica? R. Est ea, quæ plures numero distincti in specie conve-

niunt v. gr. Petrus, Paulus &c. sunt unum
in specie.

Q. Et generica? R. Quæ plures species unum
constituant, v. gr. homo et bruta sunt
unum generice.

Q. Quid est unitas simplicitatis? R. Quæ non
constat partibus, ut Deus, anima.

Q. Compositionis? R. Quæ constat partibus
distinctis, ut homo ex corpore et anima.

Q. Quid est unum, aut totum per se? R.
Cujus partes à natura sunt destinatae ad
uum componendum,

Q. Per accidens? R. Cujus partes fortuito
uniuntur, non natura, ad unum compo-
nendum ut civitas.

Q. Quid est ordo? R. Dispositio rerum se-
cundum aliquam analogiam, inter ipsas
relucentem, ut libri Bibliotecæ per scien-
tias ordinati: et est simplex, si una est ra-
tio analogiæ, si est multiplex, composita.

Q. Quotuplex est ordo? R. Quintuplex, se-
cundum tempus, dignitatem, naturam,
situm, cognitionem, et finem.

Q. Quid est ordo secundum naturam? R.
Quorum unum est causa alterius seu in-
fluxum exercet.

Q. Secundum cognitionem? Idem ac ordo jux-
ta methodi leges;

Q. Et finis? R. Ille in quo plura ad eumdem finem sunt destinata, ut universitas rerum.

CAPUT IV.

De affectionibus entis contrapositis.

§. 1. *Identitas, et distinctio.*

Q. Quid est identitas? R. Unitas in essentia.

Q. Distinctio? R. Diversitas in essentia, aut dualitas.

Q. Est idem esse duo diversa ac distincta? R. Minime, duo pondera unius libræ distincta sunt, non diversa, quia substitui possunt: uncia et libra diversa sunt, quia substitui non possunt.

Q. Quotuplex est identitas? R. Duplex, realis et formalis.

Q. Quid est identitas realis? R. Quæ datur inter ea, quæ habent eamdem essentiam, etsi diversis notionibus concipientur, ut animal et rationale in homine.

Q. Rationis seu formalis? R. Quorum unum sine altero concipi nequit v. gr. homo, qui concipitur animal rationale.

Q. Quid est identitas adæquata? R. Quæ

dem
re-
inter ea, quæ secundum omnia sua constitutiva idem sunt.

Q. Inadæquata? R. Quæ intercedit inter totum et ejus partes v. gr. binarium idem est inadæquate cum unitate, quia unitas est pars binarii.

Q. Quid est identitas pura? R. Quæ non est admixta distinctione.

Q. Mixta? R. Quæ reperitur in essentia divina et Trinitate.

Q. Moralis? R. Quæ in re physice variata, in existimatione eadem permanente inventitur, ut qui recipit eundem valorem a debitore, dicitur recipere eamdem pecuniam.

Q. Quotuplex est distinctio? R. Quot sunt identitatis genera, tot sunt distinctionis.

Q. Quid est distinctio realis? R. Quæ datur inter duo, quorum unum non est realiter aliud.

Q. Rationis, sive intellectualis? R. Quæ licet sint unum, diversa concipiuntur, ut in homine animal et rationale.

Q. Adæquata? R. Quæ datur inter ea, quæ nec inadæquata sunt idem, ut anima, et corpus.

Q. Quid est distinctio moralis? R. Est ea, quæ datur inter ens et ejus modos, ut in-

ter digitos et inflexionem.

Q. Quid est distinctio formalis? R. Quæ datur inter rem et ejus formalitates seu attributa.

Q. Quid est distinctio virtualis? R. Virtus distinctionis realis ad vitanda contradictoria, quæ essent, si non daretur hæc distinctio, v. gr. homo per rationalitatem non est similis leoni, bene vero per animalitatem.

Q. Quid est distinctio virtualis cum fundamento? R. Est ea, qua intellectus concipit ut distincta, quæ realiter sunt idem, ut justitia et misericordia Dei.

§. 2. Singulare, et universale.

Q. Quid est singulare? R. Quod est unum in essentia.

Q. Ergo quidquid singulare est? R. Certe seu individuum.

Q. A quo summitur principium individuationis? R. Ab omnibus constitutivis per quæ res determinatur, ut sit una. Nam ab eo summendum est, per quod res constituitur una numerice; hoc præstant sua constitutiva, quia Petrus est tale individuum, quia habet hæc intrinseca cons-

titutiva, et non alia.

Q. Materia efficit rem singularem? **R.** Sensibiliter, sed non metaphysice.

Q. Quotplex est universale? **R.** Quadruplex, ut dictum est in logica.

Q. Datur universale extra mentem? **R.** Minime, nam universale est unum in multis, quod excluditur per unitatem: quidquid existit singulare est.

Q. Natura humana non est una in multis hominibus, et singularis in quovis? **R.** Non est una identitate reali.

§. 3. Simplex et compositum.

Q. Quid est ens simplex? **R.** Quod nullas habet partes, ut anima, unitas in serie integrorum.

Q. Compositum? **R.** Quod ex pluribus coalescit, ut homo.

Q. Ens simplex debet esse prius composito? **R.** Utique; nam composita oriuntur ex partibus, haec autem debent esse simplices, nam si haec forent compositae, haec ex simplicibus orirentur.

Q. Eus simplex ex quo oriri debet? **R.** Ex nihilo, sed debet creari: nam oriri non potest ex composito, nec ex simplici; er-

go ex manu Creatoris : hæc creatio debet fieri in instanti quia non habet partes ; ac proinde nequit poni successive.

Q. Quot sunt partes compositi ? **R.** Essentiales , et integrales.

Q. Quid sunt partes essentiales ? **R.** Quarum una ablata totum perire debet.

Q. Integrales ? **R.** Quarum una vel multæ ablatae , remanet totum , v. gr. brachia.

Q. Quid est pars aliquota ? **R.** Quæ aliquoties repetita adæquat totum , ut binarium respectu denarii.

Q. Quid est pars aliquanta ? **R.** Quæ sæpius repetita , non adæquat totum , sed aut deficit , aut excedit v. g. binarium respectu novinarii.

§. 4. *Absolutum , et relativum.*

Q. Quid est ens absolutum ? **R.** Quod nullum respectum continet sub ea notioné qua repræsentatur v. gr. lapis.

Q. Relativum ? **R.** Quod excitat aliam notiōnem præter propriam , ut Pater repræsentat filium.

Q. Quot includit relatio ? **R.** Tria : *subjectum* , *terminum* et *fundamentum*. *Subjectum* est Pater , quod refertur ad filium ; *terminus*

alios ad quem refertur Pater, fundamen-
tum Paternitas.

Q. Quot sunt relationes? R. Duæ: essentia-
les et accidentales.

Q. Quid est relatio essentialis? R. Est ea in
qua fundamentum est aliquid intrinsecum
v. gr. duo hominum est essentia.

Q. Accidentalis? R. In qua fundamentum
est accidentale v. gr. duo Ætiopes.

Q. Quid est relatio realis? R. Quæ datur
inter duo entia existentia.

Q. Rationis? R. Quæ datur per intellectum,
ut inter definitionem, et definitum.

§. 5. *Finitum, infinitum, mutabile et immutabile.*

Q. Quid est limes, aut terminus, aut ex-
tremum rei? R. Illud ultra quod nihil
alium restat ad eamdem pertinens.

Q. Quid est realitas? R. Quæ aliquid ponit
in ente: è contrario carentia.

Q. Quot sunt species limitis? R. Duæ: ex-
tensionis et intensionis.

Q. Quid est limes extensionis? R. Est illud
ultra quod extensem non porrigitur am-
plius occupando spatium.

Q. Intensionis? R. Determinatus numerus

graduum intensionis, ultra quem incipit defectus talis qualitatis.

Q. Ergo quod limitum est circumscripsum caret realitatib; quia impossibile concipi quæsiunt? **R.** Ita est, ut non possit habere omnem extensioem, aut intensionem.

Q. Ergo si a priori finiter, illud majus in eo genere percipi potest? **R.** Utique: quia et augmentum recipere vult.

Q. Quid est infinitum? **R.** Quod clauditur limitibus.

Q. Quid est ipsi infinitum? **R.** Quod nullis limitibus contingetur, et maxima eo concipi non potest.

Q. Infinitum potest consurgere ex extensis finitis? Minime: cum cum finium limitibus concludatur, de qualibet alio addito, verum sit hoc.

Q. Possunt dari entia infinita? **R.** Minime: maxima vel erant dissimilia, et tunc habet unum qualitates, quæ in alio non invenit; vel similia, et tunc vel erunt aequalia, vel inaequalia: si inaequalia, major numerus resilietur erit in uno quam in alio, quod est absurdum: si aequalia, vel difficiuntur numero, aut non: si non differuerint numeri unum, si differunt, erit ratio differentie ac dependentie.

Q. Nonne Geometrice tractant de infinito parvo et infinito necessario? **R.** existunt enim certe utramque.

Q. Qui est modus? **R.** Modus a presenti modo existendi, vel a diverso?

Q. Quis noto est mutatio? **R.** Vel per distinctionem, aut omissionem, realitatis, alicuius modi intrinsice aut extrinsice, vel relationis &c.

Q. Quid est immutabile? **R.** Cujus existendi motus seu status variari intrinsice non potest. Motio extrinseca nihil officit immutabilitati.

§. 6. Necessarium et contingens.

Q. Quid est necessarium? **R.** Cujus oppositum est impossibile, ut totum est majus sua pars: et cetera adolutum.

Q. Quid est necessarium hypoteticum? **R.** Cujus oppositum non est impossibile nisi completum conditione.

Q. Quotplex est conditionis? **R.** Triplex, antecedens, consequens, subsequens.

Q. Quid est contingens? **R.** Cujus oppositum non est absolute impossibile.

Q. Eas quod in sua essentia includit rationem sufficientem existendi, existit necesse.

sario? R. Utique, nam ex sua essentia profluit existentia, et solus Deus sic existit: si ratio non sit in sua essentia, existit contingenter, ut omnia creata.

Q. Ergo ens existens a se erit aeternum? R. Ita est: nam non debet habere initium, aut finem; si enim haberet, posset non esse, ac proinde contingens.

Q. Erit etiam immutabile? R. Utique: nam necessariae sunt in illo omnes realitates; si immutabilis esset, perderet aut reciperet aliquam.

Q. Est ens a se etiam simplex? R. Utique: nam si non esset simplex, haberet partes, pars indicat mutabilitatem.

Q. Est etiam infinitum? R. Utique, quia omnne finitum est contingens.

Q. Debet continere omnes perfectiones possibles? R. Utique in omni genere: nam est infinitum, si non contineret omnes, non esset infinitum.

Q. Ens a se est immensum? R. Utique: nam si in uno aut alio spatio concluderetur, non esset infinitum.

Q. Ens a se est unicum? R. Dictum est in
(§. 5. Possunt dari duo entia infinita.)

Q. Ergo ens contingens debet carere his attributis, quae retulimus? R. Ita est.

Q. Ens contingens potest habere rationem sufficientem suæ existentiæ in alio contingente, ita ut ultra non progrediatur? R. Minime: nam ens finitum est dependens ab alio; excludens independentiam à sua essentia, idem dicendum de tota entium collectione per inductionem completam singularium.

Q. Ratio cur serius infinita contingentium non potest esse ratio existentiæ est, quia deveniendum est ad primum: sed in serie infinita non est opus recurrere ad necessariam: ergo: R. Ratio est, quia deveniendum est ad aliquod quod ab alio non dependeat, quod fieri non potest in serie contingentium.

Q. Falax est hæc deductio, singuli homines sunt unus homo: ergo tota complexio: sic omnia sunt contingentia: ergo tota collectio? R. Attributum unitatis numericæ pugnat cum omni collectione, in qua involvitur multiplicitas individuorum: collectio vero contingentium non pugnat cum contingentia singulorum, potius illam necessario includit.

Q. Nullum ergo erit ens necessarium? R. Ex contingentibus deducitur ens necessarium in quo ratio sufficiens existentiæ illorum

collocetur, quia nullum contingens potest in
alio contingente habere rationem suæ exi-
stentiæ: ergo in necessario; hoc autem Deus
est ens supremum cum attributis recensitis
modo.

CAPUT V.

De variis entium speciebus.

§. I. De causis, et effectibus.

Q. Quid est principium? R. Id omne unde aliquid oritur.

Q. Quotupli modo potest res esse prior altera? R. Tripliei: origine, natura et tempore.

Q. Quid est prius origine? R. Quod in se continet rationem sufficientem alterius cum quo tamen eamdem naturam communicat, ut Pater Æternus est prior Filio.

Q. Natura? R. Quod ab aliō natura distinguitur; ad illius tamen existentiam, quo modo requiritur.

Q. Tempore? R. Quod præcedit altero nondum existente.

Q. Quotplex est principium? R. Essentiæ existentiæ, et cognitionis.

Q. Quid est principium essentiæ? R. Illud

in quo continetur ratio; ut hæc potius quam alia contineat constitutiva.

Q. Quid est principium existentiae? R. A quo determinatur ut existat.

Q. Cognitionis? R. Illud in quo continetur ratio ut aliquid cognoscatur.

Q. Quid intelligitur per principium existentiae? R. Idem ac causa.

Q. Quid est effectus? R. Res quæ consequuntur existentiam.

Q. Quid patet latius, principium an causa? R. Principium, sic omnis causa est principium, sed non è contrario.

Q. Quot sunt genera causarum? R. Quinque; efficientes, materiales, formales, finales et exemplares.

Q. Quid est causa efficiens? R. Illa cuius actione ratio ponitur, ut effectus ad existentiam perducatur.

Q. Ex hac definitione quænam sequuntur?

R. Tria: 1. Nullum ens creatum esse causam sui efficientem, nam causa debet esse prior natura effectu: 2. Ens necessarium, non habere causam efficientem: 3. Omnia contingentia debere habere causam in necessario.

Q. Quotupliciter intelligitur operari causam?

R. Dupliciter: in actu secundo quando exer-

cet actionem ad producendum effectum ;
et in actu primo , quando potest , sed non
producit effectum.

Q. Sufficit virtus causæ ad producendum ef-
fectum ? **R.** Minime , debent addesse con-
ditiones ut sit expedita ad agendum v. gr.
ut ignis comburat , debet fieri aplicatio ma-
teriæ.

Q. Quotuplex est causa efficiens ? **R.** Prima
ut Deus , secunda reliquæ.

Q. Dividitur amplius ? **R.** Utique in liberam
et necessariam , principalem , et instrumen-
talem , phisicam , et moralem , per se , et
per accidens , proximam et remotam.

Q. Quid est causa libera ? **R.** Quæ promu-
ta producit effectum : necessaria , quæ ne-
cessario.

Q. Quid est causa principalis ? **R.** Quæ agit
principaliter.

Q. Instrumentalis ? **R.** Quæ est instrumen-
tum ad effectum producendum , ut calamus
ad scribendum.

Q. Physica ? **R.** Quæ actione sua producit ef-
fectum.

Q. Moralis ? **R.** Quæ producit opera alterius.

Q. Per se ? **R.** Quæ à natura destinatur ad
effectum.

Q. Per accidens ? **R.** Quæ ad natura non des-

- tinatur ad effectum producendum.
- Q. Proxima? R. Quæ actione immediata agit.
- Q. Remota? R. Quæ agit causis intermissis,
ut Adam est causa remota nostri.
- Q. Quotupliciter effectus continetur in causa?
- R. Tripliciter: *formaliter* cum in propria
forma existit, ut ignis, ignem producens:
virtualiter, si causa possideat virtutem
educendi effectum, ut anima cogitationes:
eminenter, si continet virtutem perfectio-
ri modo.
- Q. Quid est causa materialis? R. Materia
ex qua aliquid fit, ut lignum ad mensam,
et dicitur subjectum inhæsionis.
- Q. Formalis? R. Ipsa forma in materia in-
ducta, ut forma mensæ.
- Q. Finalis? R. Finis propter quem aliquid
agitur.
- Q. Quid est causa adæquata? R. Quæ sine
consortio alterius, producit effectum; è
contrario inadæquata.
- Q. Exemplaris? R. Illa ad cuius exemplum
aliquid fit.
- Q. Quid est causa occasionalis? R. Ea, quæ
licet vere nihil agat, occasionem præbet cau-
sæ primæ, ut illum producat, v. gr. apli-
catio ignis ad lignum, ut comburatur.
- Q. Effectum, qui observantur in inanimatis

ut illorum motus in productione, determinacione &c. Materiæ est causa efficiens eorum? R. Hac de re plurimæ sunt sententiae, nulla tuta.

Q. Explica primam? R. Sunt qui judicant, omnes effectus ad unicam Dei voluntatem referri debere, ita ut omnium sit causa efficiens, et honor a aliquo ad aliud non simul et creature productum efficiat: ita ut qualitas Dei et creature ratione efficiens completa et nullis aliis silens.

Q. Explica secundam. R. Haec est Cartesii, qui nullam materiam tribuit effectuum ad producendos effectus tanquam causa efficiens, sed operatione tantum extrahit causam. Deus moveatur ad ejus productionem, quip non potest.

Q. Qualem ratione? R. Et ea, quæ veram esse sensibilem in rebus corporalibus collocant: in evanescere, nunc, ejus, statuit ut ad quoscumque motu justæ leges physicas ab eius statu res contemptarent, eisque se præbere.

Q. In hac opinione inertie exulare jubetur, et vitalis actio tribuitur inanimatis. R. Minime quidem, si materialia concipias ab exteriora lege separata, neque quietem appetit, neque motum repuet: actio vi-

talis non tribuitur materie: hæc provenit
a substantia immateriali aut spirituali.

§. 2. De substantia et accidente.

Q. Quid est substantia? **R.** Ens per se subsistens seu non indigens subjecto cui inhæreat.

Q. Quotuplex est? **R.** Triplex: Spiritualis, ut Deus, anima; materialis, ut lignum; et immaterialis, ut animæ brutorum.

Q. Quid est substantia spiritualis creata? **R.** Quæ a Dōo creata est, ut Angeli, anima: increata, ut Deus.

Q. Substantia est simplex? **R.** Utique: non enim componitur ex partibus, quæ substantia non sint, nullum compositum continent nisi substantias simplices ex quibus oritur.

Q. Quid est actio? **R.** Vis seu potentia agendi: melius exercitium.

Q. Passio? **R.** Potentia recipiendi: melius exercitium recipiendi actionem.

Q. Quid est accidentes? **R.** Ens in alio subsistens, seu indigens alio cui inhæreat.

§. 3. Suppositum, subsistentia, et persona.

Q. Quid est subsistentia? **R.** Complementum

substantiæ, per quod intelligitur suatum operationum esse principium.

Q. Quid est suppositum? R. Substantia constituta per subsistentiam.

Q. Persona? Suppositum naturæ rationalis.

Q. In quo consistit subsistentia? R. Existimant aliqui, nihil aliud importare, quam negationem unionis cum alio ente, qua deficiente, substantia in se sistere concipitur: sic gutta aquæ ab alia separata, suppositum esse concipitur, unita unum cum alia.

§. 4. Quantitas, et qualitas.

Q. Quid est quantitas? R. Magnitudo, aut extensio partium totum componentium.

Q. Quid est extensio? R. Quæ metitur major aut minus spatium.

Q. Ergo quantitas, sine relato aliquo, cui conferatur, intelligi non potest? R. Ita est: nam magnum et parvum non agnosco, nisi comparete ad aliud.

Q. Et qualitas? R. Non indiget hoc, v. gr. aqua frigida.

Q. Ergo substantiæ notio est abstracta, et nihil determinatum nobis exibet? R. Utique: determinatur intrinsice per quantita-

- tem, et qualitatem; et ab his in classe
entium collocatur.
- Q. Quot sunt genera qualitatum? R. Primi-
tiva et derivativa; et hæ necessariæ et
contingentes.
- Q. Quid sunt qualitates primitivæ? R. Quæ
primæ in ente concipiuntur; derivativæ
quæ ab his oriuntur.
- Q. Quid sunt qualitates necessariæ? R. Quæ
in primitivis habent rationem cur actu in-
sint, v. gr. soliditas lapidis.
- Q. Contingentes? R. Quæ in primitivis non
habent rationem cur actu insint, v. gr.
ut lapis fiat calidus, aut frigidus.
- Q. A quo desumitur similitudo, aut dissimi-
litudo entium? R. A qualitatibus: duo
entia ejusdem specie qualitatis habentia,
sunt similia.
- Q. Similitudo crescit, aut decrescit? R. Ut-
ique justa numerum, aut intensionem
qualitatis.
- Q. Et æqualitas? R. Non: à quantitate enim
ducit originem.
- Q. A quo desumitur differentia accidentium
quantitatis, et qualitatis? R. Prima per
mensuram aestimatur, per longum &c. se-
cunda à gradibus intensionis.

§. 5. *De motu et quiete.*

Q. Quid est motus? R. Translatio entis de uno in alium locum.

Q. Ad quam speciem accidentium pertinet motus? R. Ad qualitatem; augeri enim, et minui potest: sic est acceleratus, aut retardatus, pro majori, aut minori velocitate.

Q. Quid est quies? R. Cessatio motus.

DISSERTATIO SECUNDA.

Cosmologia.

CAPUT I.

§. i. *Mundi notio, ejusque partium nexus.*

Q. Quomodo hic tractatur de mundo cum ad Physicam spectet? R. In Physica tractatur de mundo reali, hic de intelligibili, de nexibus mundanorum entium, de origine corporum, de abstractis notionibus, spatio, loco, tempore, extensione, perfectione.

Q. Quot entia hic considerare debemus? R. Duo: simultanea, et successiva.

Q. Quid sunt entia simultanea? R. Quæ simul coexistunt.

- Q. Succesiva? R. Quæ non interrupto ordine sibi invicem succedunt.
- Q. Quæ entia dicuntur connexa ratione loci, aut spatii? R. Ubi duo entia reperiuntur, quorum unum rationem contineat, cur ipsi alterum coexistat, ut terra, et luna.
- Q. Ratione temporis? R. Ordo succesivorum, ita ut posterius in antecedente rationem suæ existentiæ contineat, ut dirum, et noctium successio.
- Q. Si omnia entia sunt connexa, aut ratione temporis, aut spatii; nullum erit ens sine vinculo cum aliis? R. Ita est: omnia connexa sunt ratione causæ et finis, quod catenam entium vocant.
- Q. Ergo lex continuitatis observatur in mundo? R. Saltem non possumus affirmare nihil fieri per saltum.
- Q. Quid est casus? R. Effectus fortuitus, qui sine causa apparente nobis evenire solet, de prosperis, aut adversis.
- Q. Quid est fortuna? R. Eventus prosperus veluti casu proveniens.

CAPUT II.

De mundi origine ac existentia.

- Q. Quot fuere de mundi origine opiniones?

R. Plurimæ: alii ajunt materiam fuisse æternam: alii omnia divinitatis et materiae attributa miscebant, seu materiam Deum: alii in tempore fuisse creatam.

Q. Tu quid sentis? R. Materiam in tempore fuisse creatam: nam materia est contingens; ergo debuit habere initium: nam hæc non est ens necessarium, est enim mutabile.

Q. Si mundus non est æternus, Deus mutaretur creando mundum, transiens de statu non creandi ad statum creatoris? R. Hæc mutatio est res extrinseca, per veram mutationem creaturarum fieret relatio creatoris.

Q. Per solum decretum Deus non erat actu agens sed in potentia, quod est mutatio intrinseca. R. Et certe non erat actu agens respectu termini, in quo facta est mutatio.

Q. Dei voluntas est efficax: ergo si voluit creare mundum ad æterno, ab æterno creavit illum? R. Est efficax pro eo tempore, quo decrevit.

Q. Ergo exequendo decretum creationi, mundo accessit nova voluntas, ut sit in homine? R. In Deo omnia sunt æterna, et ideo non accessit nova voluntas sicut in

ente limitato.

Q. Per illam voluntatem, vel erat actu agens et mundus aeternus, vel in potentia, et indiget novo actu? R. Potentia et actus in Deo est ad modum nostrum concipiendi. Deus semper est agens pro tempore quo decrevit.

Q. Vel Deus non potuit creare mundum ab aeterno quod est imbecillitas; vel si potuit et nolluit, et invida fuit; vel potuit et voluit; et est aeternus. R. Deus non potuit creare mundum ab aeterno eo sensu, quod mundus semper coexisteret, quia aeternitas sic est attributum Dei, cuius participatio convenire non potest rei creatae; potuit tamen anticipare tempus creationis.

Q. Natura summi boni est esse communicativum sui: si mundus aeternus non fuit, Deus non est summe bonus. R. Deus potest communicare se in tempore.

Q. Melius est mundum esse quam non esse: ergo. R. Relate ad creaturas, non ad Deum.

Q. Mondi creatio Deum agentem constituit, melius est enim agere quam non. R. Constituit Deum agentem ad extra, id est ad objecta creata, non ad intra, ad Deum scilicet.

Q. Quidquid Deus cognoscit ab æterno cognitum est; ergo quidquid cognitum est ab æterno conditum est. R. Non est idem scientia et operatio: scientia Dei est æterna et necessaria, sic objectum cognitum est ab æterno: voluntas Dei est libera, et prout placet operatur.

Q. Mundus potest existere in perpetuum, ergo et perpetuo fuisse. R. Couditio mundi postulat, ut ex nihilo oriatur, ac proinde in tempore: quod brevi duret, aut finem non habeat, ipsa non postulat.

Q. Potuit mundus esse ab æterno? R. Minime; nam ante creationem debuit præcedere nihilum: ergo in illo tunc mundus non existebat.

Q. Quando incœpit mundus? R. Ultra sex aut octo mille annos extendi non potest: quod præter sacras litteras argumenta non pauca physica probant recentem existentiam.

CAPUT III.

De mundi perfectione.

Q. De Optimismo sentis idem ac Leibnitius? R. Minime: immo contra ipsum sic statuuntur sequentes propositiones.

Q. Quænam est 1^a? R. *Duo entia omnino similia non repugnant*: nam similia dicuntur, quæ habent qualitates aut notas conformes; id non repugnat: nam non repugnat intrinseca constitutiva unius esse conformia alterius constitutivis.

Q. Quænam est 2^a? R. *Duo entia perfecte similia, adhuc essent discernibilia*: nam distinctio numerica qualitatum satis est ad discernendum unum individuum ab alio, quia diversum locum occuparent.

Q. Tertia? R. *Mundus optimus non est in sensu Leibnitiano*. Nam ens necessarium utpote infinitum includit omnes perfectiones: ergo si mundus optimus est, ita ut melior esse non possit, ut ajebat Leibnitius, includit omnes perfectiones: erit ergo necessarium et infinitum.

Q. Quarta? R. *Mundus est perfectus in ordine, partium consensione et fine*. Nam artifex est ens necessarium infinite perfectum: tale non esset, si mundus non fuisse perfectus, id est si non tenderet ad finem sibi propositum.

Q. Deus operatur modo perfectissimo: ergo mundus est optimus, ut melior esse non possit. R. Certe ex parte divinæ actionis est perfectissimus, non ex parte effectus:

sic et elegit optima media relativa, non
absoluta.

Q. Mundus continet plura entia imperfecta,
monstrua, peccata: ergo non est perfectus.

R. Mundus non est absolute perfectus sed
in suo genere; ideo monstrua sunt imper-
fecta in se, sed perfecta relate ad mun-
dum: de peccatis postea.

Q. Mundus est unicus; an sunt plures mun-
di? **R.** Unicus: nihil esse potest in mun-
do, quod pars universi non sit.

CAPUT IV.

Metaphysica notio corporum.

Q. Quid est corpus? **R.** Materia, quæ af-
ficit sensus nostros.

Q. Ergo corpus compositum est? **R.** Utique.

Q. Substantiæ materialis particula, seu pun-
ctum, si quæ extat solitaria, potest dici
corpus? **R.** Minime: quia est simplex.

Q. Quot sunt corporis proprietates? **R.** Qua-
tuor: impenetrabilitas, extensio, divisibi-
litas et mobilitas.

Q. Quid est impenetrabilitas? **R.** Ea, qua cor-
pus à loco suo alterum arcet, ita ut duo
non possint esse in eodem.

Q. Nonne plura corpora occupant eundem locum, ut cinis et aqua? R. Sed unum introducitur in poris alterius.

Q. Quid est elementum corporum? R. Initia compositionis, ita ut unum aliud non occupet, et dicitur soliditas.

Q. Elementum est simplex? R. Ita est, et unicam partem loci occupat; ac proinde est inextensum: nam si occuparet duas, dividi posset.

Q. Corpus dividi potest? R. Utique: elementa materiae, sicut uniuntur, ita separari possunt: et dicitur sectilitas.

Q. Quid est inertia? R. Aptitudo corporis ad motum et quietem.

CAPUT V.

De Corporum extensione.

§. I. Continuum.

Q. Quid est extensum? R. Cujus partes continuitate quadam conjunctae sunt ita, ut una non occupet eundem locum ac altera.

Q. Est idem continuum ac extensum? R. Fere idem, sed non nisi continuum permanens extensionem localem habet.

Q. Quid est continuum successivum? R. Quod

habet partes non simul existentes, sed si-
ne interruptione succidentes, ut tempus
et motus.

Q. Quid est contiguum? R. Cujus partes
mutuo attractu conjunguntur.

Q. Datur coæsio partium? R. Aliqui judi-
carunt materiam ex punctis constare repul-
sivis, ut quando accedunt repellantur, ut
non se contingant, et attractivis ne ni-
mium repellantur: hi soliditatem nullam
nec contactum admittunt.

Q. Quid tibi de hac sententia videtur? R.
Quidquid sit de ejus veritate, non caret
difficultatibus, quas exponere non juvat.

Q. Quid est divisibilitas physica? R. Quæ
fit actu.

Q. Geometrica? R. Ea in qua concipiuntur
partes, quæ in materia existunt.

Q. Materia est divisibilis in infinitum? R.
Geometricé, non phisice: nam spatiū inter
tangentem et circulum est divisibile in infi-
nitum, cum infiniti circuli possint for-
mari: argumenta, quæ contra opponuntur
laborant fallacia; transundo de statu geo-
metrico ad physicum, et ē contrario.

§. 2. *De Corporum figurata extensione.*

Q. Quid est figura? R. Limes extensionis v.

gr. cubi figura ex sex superficiebus: superficies ex lineis &c.

Q. Ergo quodlibet elementum seorsim non est figura? **R.** Ita est: quia figura importat extensionem, qua carent elementa.

Q. Elementa sunt homogenea, an heterogenea? **R.** Nihil prohibet ab homogeneis infinitam compositorum varietatem oriri per diversam combinationem, ut vocabula quæ ex alphabeto oriuntur.

Q. Sapientiæ Dei magis congruit creare elementa dissimilia? **R.** Magis extollit divinam fecunditatem homogenea creatio.

Q. Nulla fieret diversitas vocum, si singula elementa eundem ederent sonum v. gr. á: ergo á pari. **R.** Ratio est diversa: nam voces consistunt in diversa modulatione aeris, si una est modulatio una erit semper vox: sed elementa, diversa collocacione, infinitam varietatem inducere possunt compositorum.

CAPUT VI.

De spatio, loco, et tempore.

Q. Quid est spatium? **R.** Capacitas in qua existunt, vel existere possunt corpora á

Deo creata.

- Q. Quid est spatium sensibile in ordine co-existentium? R. Est illud, quo corpora invicem respondent, et collocata intelliguntur, v. gr. spatium occupatum ab urbe.
- Q. Intelligibile? R. Immensitas illa in quantitate finita in infinitum produci possunt.
- Q. Quid est locus? R. Pars sensibilis spatii a corpore occupata, v. gr. ubi sedeo.
- Q. Quid est locus communis? R. In quo plura entia continentur, v. gr. Urbs.
- Q. Proprius? R. Est pars illa communis loci a quolibet ente occupata.
- Q. Quid est locus absolutus? Q. Qui sine respectu ad alia corpora circunstantia concipiatur: est contrario, relativus.
- Q. Potest mutari locus absolutus, permanente eodem relativo? R. Potest, ut continetur in navigantibus.
- Q. Quid est spatium imaginarium? R. Illud in quo nulla entia collocata intelligimus, et non concipimus repugnantiam posse ibi produci.
- Q. Quid est tempus? R. Succesiva rerum duratio sine retardatione, aut interruptione.
- Q. Quid est tempus absolutum? R. Duratio continua non interrupta entium sibi succedentium.

Q. Relativum? R. Comparatio durationis rerum ad motum aliquem sensibilem, v. g. Solis e quibus partibus mensuramus durationem.

CAPUT VII.

Naturale, et supernaturale.

Q. Quid est natura? R. Principium activum, quod rationem continet operationum internarum entis.

Q. Quid intelligis per principium activum? R. Illud quod juxta leges metaphysicas a natura operari concipimus.

Q. Quid est cursus naturae? R. Series eventuum a legibus naturae regulatis nexus procedentium.

Q. Quid sunt effectus naturales? R. Qui juxta cursum naturae educuntur.

Q. Praeter naturales? R. Vis aliqua illata naturae ab alia fortiori sine violatione legum naturalium, ut calor in lapide.

Q. Supernaturales? R. Qui contra leges naturae parantur, vel quoad substantiam vel quoad modum; ut suscitatio mortui.

Q. Quid est miraculum? R. Effectus supernaturalis, tam secundum substantiam aut modum editus.

- Q.** Miraculum est possibile? **R.** Utique; nam leges naturæ sunt extrinsicæ, libera voluntate Creatoris statutæ, quas suspendere, pervertere et mutare potest.
- Q.** Quis potest miracula patrare? **R.** Sola Dei omnipotentia, quæ leges naturæ invertire potest.
- Q.** Leges naturæ pendent ab essentiis rerum, quæ mutari non possunt. **R.** Minime; sunt indifferentes ad statum à Creatore destinatæ.
- Q.** Leges morales pendent ab intrinseca rerum moralitate, pariter naturales. **R.** Non est idem, nam morales fundantur in perfectionibus divinis, ideo mutari non possunt; sed leges naturæ sunt indifferentes ad finem physicum aut moralem.

DISSE~~RTA~~ TERTIA.

Psycologia.

CAPUT I.

De existentia animæ, et ejus facultatibus.

- Q.** Existit anima nostra? **R.** Utique; quod in nobis cogitat anima est.
- Q.** Quid est conscientia? **R.** Actus interior,

quo nos agere, et ab aliis distingui sentimus.

Q. Quid est cognitio? R. Actio qua representationes rerum peraguntur: facultas id efficiendi facultas cognoscitiva dicitur.

Q. Quid est facultas cognoscitiva inferior? R. Est qua dirigitur ad objecta materialia, confuse et imperfecte, et est communis cum belluis.

Q. Quid est facultas superior? R. Qua ideas puras distincte à sensibus remotas percipimus.

Q. Quid est voluntas? R. Animi motus, quo aliquid appetimus, aut aversamur.

CAPUT II.

De sentiendi facultate.

Q. Quid est facultas sentiendi? R. Potentia illa, quæ in anima percipit res extra se existentes, et eam afficientes.

Q. Quomodo fit sensatio in anima? R. Per commotionem nervorum ad cerebrum usque propagatam anima excitatur ad sensationem.

Q. Quot sensus corporis? R. Duo, externi et interni.

- Q. Quid est sensus externus? R. Illa facultas quæ exercetur ope organorum exteriorum.
- Q. Internus? R. Illa per quam ideæ, quæ transmuntur ab externis, sensu intimo percipiuntur.
- Q. Quid est sensorium commune? R. Illa cerebri pars, in quam confluunt per fibras organorum sensus.
- Q. Quot sunt regulæ in sensatione? R. Quatuor. 1. Recta dispositio in organo sensorio. 2. Congrua organi permotio. 3. Quilibet sensus habet sua munia, quin excitet ad aliena. 4. Organis commotis non licet in anima impedire sensationem.

CAPUT III.

De animi sede.

- Q. Quænam est animi sedes? R. Alii ajunt sitam esse in toto corpore, alii in cerebro. Cartesius in glandula pineali, Papyrus in corpore calloso.
- Q. Tu quid sentis? R. Esse sitam in cerebro, in qua tamen ejus parte est incertum: nam ibi est ubi immediate agit: cerebro vitiato etiam si sensus sani sint, omnino ammittuntur, ut in apoplexia: ergo.

Q. Quomodo excitantur sensationes in anima? R. Alii ajunt à nervorum oscillatione ad cerebrum usque; alii à fluido nerveo, seu spiritibus animalibus; alii ab ambobus, sed est incertum.

CAPUT IV.

De facultate imaginandi.

§. 1. De imaginationibus.

Q. Quid est imaginatio, phantasma? R. Facultas res præteritas animo sistendi.

Q. Phantasma? R. Imago, quæ animo sistitur.

§. 2. De Somnis.

Q. Quid est motus vitalis? R. Ille à quō functiones vitæ dependent, ut motus cordis.

Q. Animalis? R. Qui comprendit sensationes omnes et motus membrorum voluntarios.

Q. Quid est somnus? R. Status ille animæ, quo sensationes conquiescunt, aut remittuntur; ita ut anima earum conscientia non sit.

Q. Vigilia? R. Status quo ideæ claræ rerum obtinentur.

Q. Quid est somnium? R. Status ille in quod

ideæ materiales præhabitæ, id pariunt quod
in vigilia sensationes ab objectis impresæ.

§. 3. De memoria.

Q. Quid est memoria? R. Facultas recogno-
scendi sensationes.

CAPUT V.

De intellectu.

§. 1. De facultate intelligendi.

Q. Quid est intellectus? R. Ea animi fa-
cultas, qua res distinctas percipimus, ea-
rum notas ita separando, ut ab aliis di-
scernere possimus.

Q. Quid est vis objectiva intellectus? R. Ea
qua quis plura objecta percipere valet.

Q. Formalis? R. Quæ consistit in modo co-
gnoscendi, et repræsentandi.

Q. Quid est intellectus profundus? R. Qui
composita in objecto reperit, dissolvit et
in membra dissecat.

Q. Quid est acumen? R. Vis plura in obje-
ctis distinguendi.

Q. Quid est soliditas? R. Recta ex his quæ

percepta sunt deductio.

§. 2. *De judicio et ratione.*

Q. Quid est judicium rectum? R. Facultas discernendi convenientiam idearum inter se.

Q. Quid est ratio? R. Facultas quæ singulares veritates in universalibus contentas deducit, et applicat.

§. 3. *De reflexione et attentione.*

Q. Quid est reflexio? R. Conversio animi ad sua cogitata.

CAPUT V.

De commercio animæ cum corpore.

§. 1, 2 et 3.

Q. Quid est commercium animæ cum corpore? R. Actus reciprocus corporis inter et animam.

Q. Quot sunt hac de re opiniones? R. Tres
1^a. Systema harmoniae præstabilitæ. 2^a. Causarum occasionalium. 3^a. Influxus physicus.

Q. Explica 1. m R. Leybnitius constituit quam-

dam seriem motuum in corpore ex se in-
vicem nascentium, qui non pendent ab ani-
ma, sed ab impresionibus externis in or-
ganis: similiter in anima seriem perceptio-
num, et volitionum, vi propria produ-
ctarum sine corpore, ita ut animæ et cor-
poris operationes, etiamsi non existeret
unum, producerentur in alio: sed ita con-
sentient inter se motus et perceptiones,
ut idem omnino sit, ac si corpus in ani-
mam et vicisim vere influerent; et ut in tuto
ponat libertatem, ait, hoc solum interesse
inter corporis motus et animæ perceptio-
nes, sed appetitus animæ etsi ab his
orientur, anima libere elicit illos.

Q. Hoc systema est admittendum? R. Mi-
nime: nam omnia fluunt quadam neces-
sitate quæ tollit libertatem, est enim ani-
ma automatum spirituale, corpus materiale.

Q. Explica z.m R. Cartesiani ajunt causam
occasionalis esse, quæ destituitur vi pro-
pria agendi, occasionem tamen præbet: sic
Deus modificat animam, in corpus, et
vicisim, ut his motibus corporis, has et
non alias Deus in anima producat ideas:
his animæ perceptionibus, hos motus et
non alios.

Q. Admittis hoc systema? R. Minime: nam

per illud jus corporis in animam et vicisim explicari non potest: si enim corpus moyetur ab anima tamquam ab occasionali causa, Deus produceret hos motus; ergo cur data volitionis occasione, Deus aliquando similem, aliquando dissimilem corporum actum excitaret?

Q. Explica 3.m. R. Aristotelici dicunt corpus influere physice in animam, et animam in corpus: substantia influit physice, dum transfert realitatem quamdam in aliam: hinc dum corpus movet animam, transit quædam vis motrix, quæ transmutatur in aliam vim, ut animam movere possit: similiter dum anima movet corpus, vis spiritualis mutatur in corpoream.

Q. Admitis hoc systema? R. Etsi obscurum et implicatum, defendi tamen potest: nam hæc videtur vox naturæ animam in corpus agere et vicisim: Deus enim etsi incorporeus substantiam corpoream impellere potest.

CAPUT VII.

De idearum origine et natura.

Q. Quot modis efficiuntur perceptiones? R. I. Cum res sensibles præsentes sunt et

- animum movent. 2. Dum absentes iterum
- repræsentantur. 3. Dum insensibilia forma
- corporea concipiuntur. 4. Dum insensibi-
- lia forma destituta percipimus.

Q. Ad perceptiones insensibilium, quibus fa-
- cultatibus utimur? R. Reflexione, atten-
- tione, ratiocinio, et abstractione.

CAPUT VIII.

De voluntate et ejus proprietate.

§. I. *De objecto voluntatis.*

Q. Quodnam est objectum voluntatis? R.
Bonum: et est absolutum, et relativum.

Q. Quid est bonum absolutum? R. Quod
aliqua perfectione est donatum.

Q. Relativum? R. Quod nobis aliquo modo
conducit.

Q. Datur malum absolutum? R. Minime:
nam nullum ens bonitate destituitur.

Q. Datur malum relativum? R. Utique: quod
nostris finibus opponitur; et est etiam ve-
rum vel apparens.

Q. Quid est voluptas? R. Ea animæ affectio
qua bono percepto, sensu quodam per-
funditur.

Q. Tædium ? **R.** Affectio, qua malum perceptum aversatur animus.

Q. Quid est appetitus ? **R.** Facultas qua anima, objecto percepto, rapitur pro voluptate, aut adversatur pro molestia.

Q. Anima appetit malum, ut malum ; aut aversatur bonum, ut bonum ? **R.** Minime: quia anima non potest idem placere ac desplicere; si eligeret malum qua malum, placeret, quia eligeret; despliceret, quia malum jucunditatem non afferret: sic de bono.

Q. De quo bono hic agitur ? **R.** De apparente: nam sæpius elegimus malum, et credimus eligere bonum.

Q. Ergo anima non est libera, cum determinetur ad eligendum bonum propositum ab intellectu ? **R.** Anima non est necessario determinata ad id quod ab intellectu proponitur amplectendum: (nisi summum bonum) potest suspendere, ac mutare judicium &c.

Q. Intellectus potest cognoscere falsum ut falsum: ergo voluntas appetere malum ut malum. **R.** Intellectus potest cognoscere falsum ut falsum, dissentiendo; sic voluntas fertur in bonum prosequendo; in malum aversando.

Q. Qui proximum odio habet vult malum ut

intellectu collocari debet.

Q. Ad libertatem indifferentiae requiritur facultas expedita ad agendum ? R. Utique; alioquin non esset libertas, si non fuerit expedita.

Q. Voluntas potest pati locutionem ? R. Minime: non enim potest determinari nisi a se ipsa, est enim actus internus substantiae spiritualis.

Q. Est homo liber plena libertate sine ulla necessitate interna ad suos actus ? R. Utique: nam ex libertate oritur aequitas legum, et obligatio; frustra leges obligarent, si mens non esset libera: poenae essent iniquae, puniendo id, de quo aliter agere non potest.

Q. Sensus intimus non deservit ad probandam libertatem, nam nos fallit, ut aliqui credidere animam esse in toto corpore. R. In casu adducto sensus intimus solum dictabat, ex quacumque corporis parte sensationes oriri posse, ex quo improbant esse in toto corpore; sed tam conscientios non facit de libertate, ut si inferorem induceret essemus sceptici.

Q. Praescientia divina tollit libertatem: quae enim praescita sunt, necessario fiunt. R. Sed haec non est necessitas absoluta, sed

hypotetica.

Q. Stante scientia Dei de futura scriptione, non possum ommitere eam, quia falsam redderem scientiam Dei. **R.** Possum ommitere facultate consequente, et hypotetica, non antecedente aut in sensu composito, sed diviso.

Q. Voluntates nostrae pendent ab inclinacionibus, quia pendent ab impressionibus objectorum. **R.** Sed non pendent necessario, sed tamquam motiva nullam necessitatem inducentia.

Q. Voluntas movetur ab alio ; quod movetur ab alio, est necessarium : ergo. **R.** Deus omnia movet secundum rationem mobilium : movet voluntatem, sed non ut ex necessitate.

Q. Aliqua causa determinat voluntatem ad velle ; possita causa, ponitur effectus : ergo necessario movetur. **R.** Non omnis causa necessario producit effectum, etiamsi sit sufficiens, potest enim impediri, sic causa, quae facit voluntatem velle, potest impediri per aliam, removendo quod inducit ad velle,

CAPUT IX.

De natura et origine animæ.

§. 1. *An sit incorporea.*

Q. Quid est materia, seu corpus? R. Substantia extensa, composita, divisibilis, solida, iners, figurabilis.

Q. Quid est spiritus? R. Substantia inextensa, simplex, activa, sine figura, intellectu et voluntate prædicta.

Q. Materia potest cogitare? R. Minime: nam proprietates materiæ pugnant cum cogitatione: est enim illa extensa, divisibilis, iners, cogitatio inextensa et indivisibilis; quia si esset extensa &c. non perciperemus totum objectum: quia vel quælibet pars percipit totum; vel singulæ partes, singulas objecti; si primum, infinitæ erunt perceptiones, non una: si alterum, pars quæ percipit unum extremum, aliud non perciperet.

Q. Non possumus negare cogitationem materiæ, quin cognoscamus essentiam, et modos possibles materiæ, quod non cognoscimus. R. Non est necesse cognoscere hoc: sufficit ut cognoscamus modos contradic-

ctorios; qui inessent, si cogitatione prædita esset.

Q. Materia prædita est qualitatibus simplibus, ut gravitates &c. **R.** Falsum est esse simplices, nam dividiri possunt, et hæc sunt extrinsicæ, non vero intrinsicæ.

Q. Anima humana est incorporea, et immaterialis? **R.** Utique: nam cogitat, materia autem cogitare non potest.

Q. Anima est spiritualis? **R.** Utique: nam vel est spiritualis, vel materialis: non materialis: ergo. Item est libera; libertas materiæ convenire non potest, est enim iners.

Q. Anima unitur cum corpore, sed substantiae diversæ uniri non possunt. **R.** Possunt uniri quomodo dictum est.

Q. Anima est simplex, et individua? **R.** Utique: unum idemque individuum est quod cogitat, sentit, vult &c.: si plura individua, pars quæ sentiret, minime conscientia esset cognitionis alterius, et viceversa, quod est absurdum.

Q. Ergo simplex oriri non potest? **R.** Et certe debet creari, aut ex nihilo extrahi unicco momento, nec corrumphi potest.

§. 2. *De immortalitate animæ.*

- Q.** Quid est immortalitas naturalis? **R.** Actuum vitalium perpetua duratio.
- Q.** Essentialis? **R.** Quæ est in ente quod ab essentia sua existendi rationem habet, ac proinde æterna aut sine principio, propria solius Dei.
- Q.** Mens humana potest destrui viribus naturæ? **R.** Minime: nam, si quæ vis posset illam destruere esset corporea aut incorporea: vis corporea agere non potest in spiritum; nec potest spiritus corrumpi, quia est simplex: anilare nulla vis potest, quia anilatio excedet vires humanae: ergo.
- Q.** Certum est ratione naturali, animam non esse à Deo destruendam? **R.** Utique: nam intima conscientia cognoscimus, impios, scelerum poenas sullituros, justos præmia accepturos post mortem: appetimus existiam aversamur anihilationem. Cupimus gloriam post mortem &c.: accedet consensus nationum omnium in funeribus.
- Q.** Solo fidei testimonio id cognoscimus? **R.** Minime sed et validissimis rationibus: videntur plures justos in hoc mundo oppressos scelestus esse propenos: qui negat

immortalitatem , negat supplicia , et præmia post hanc vitam , negat Providentiam Dei , et efficit illum injustum.

Q. Mens est forma substantialis corporis: existentia causæ formalis pendet à materiali: ergo dissolutio materiæ est et mentis. **R.** Est forma non consistens in modificationibus materiæ, sed informans ad actus vitales ministerio organorum.

Q. Mens est pars hominis incompleta. **R.** est pars quatenus corpus animat, et cum eo hominem constituit, quod contingit non ex ejus essentia, sed ex Dei decreto.

Q. Mens producitur dependenter á corpore ; ergo ejus existentia dependet ab ipso. **R.** Dependenter, id est eodem tempore, non ut ab illo ejus existentia dependeat.

Q. Pendet ab ipso, ut operetur: ergo ut existat. **R.** Ut operetur tanquam instrumentum, non ut facultatem præbens.

Q. Lex constans est, dum duo conjuncta sunt, probant dependentiam. **R.** Probant dependentiam pro tempore, quo lex commercii á Deo statuta durat.

Q. Anima separata á corpore est in statu violento, quia appetit unionem. **R.** Appetit unionem ob legem commercii, non intrinseca imperfectione , ut complementum.

- Q. Anima mutatur: ergo interire potest. R.
Mutatur circa objecta, non intrinsecis pro-
prietatibus.
- Q. Materia est corruptibilis, quia mutatur.
R. Sed quia mutatur in intrinsecis pro-
prietatibus.
- Q. Probatio à supplicis et præmiis nulla est,
quia virtus præmium est, et ē contrario.
R. Sed non est præmium satis compensatum.
- Q. Ex cupiditate beatitudinis non probatur
immortalitas; nam homo desiderat quæ
obtinere non potest; ut divitias. R. De-
siderat non appetitu innato à natura, sed
per errorem.
- Q. Consensus universalis, verus non est, nam
Stoici æternitatem negarunt. R. Sed nega-
runt contra stimulos conscientiæ.
- Q. Mens non exigit creationem, nec perpe-
tuam conservationem, nam Deus creavit
eam libere. R. Deus libere condidit et de-
crevit illam in æternum conservare.
- Q. Deus solus est immortalis: ergo. R. Est
immortalis à parte ante, seu essentialiter;
anima à parte post, vel naturaliter.
- Q. Unus est interitus hominum ac jumentorum.
R. Quantum ad corpus, non ad animam.

§. 3. *De origine humanæ mentis et aliis.*

Q. Quot sunt de mentis humanæ origine opinio-
nes? R. Plurimæ: alii putant esse ex
propria Dei substantia ut Stoici: allii fieri
ex traduce: alii creatas fuisse à Deo ini-
tio mundi, et poni in semine primordiali.

Q. Quam sectaris? R. Harum nullam, sed
creari à Deo eo tempore, quo corpus con-
formatur in conceptione: nam est simplex,
ex creatione oriri debet: ejus præexisten-
tia nullo nititur fundamento.

Q. Animæ pertinent ad diversas species an
ad eamdem? R. Ad eamdem: diversitas
enim facultatum, pendet à diversa or-
ganizatione.

CAPUT ULTIMUM.

De anima brutorum.

Q. Quot sunt de anima brutorum opinio-
nes? R. Plurimæ: alii dicunt esse spiritua-
les substantias: alii materiales: alii mo-
dificationem materiæ: alii immateriales, id
est, nec corpus, nec spiritus: alii ut Car-
tesius automata, aut machinas.

Q. Sunt automata? R. Minime: nam si es-

sent meræ machinæ, deberent esse constantes, ut horologium: sed moventur secundum impressiones organorum: sic nulla machina tan diversos effectus potest producere. Pariter habent organa simillima nostris; cum enim in nobis sentiamus ori-ri a principio interno; patet esse in bruti principium, a quo orientur.

Q. Animæ brutorum pollent facultate sentiendi? **R.** Utique: omnes notiones animales, quas in nobis a facultate sensitiva provenire cognoscimus, in belluis animad-vertimus: effectuum naturalium ejusdem ge-neris, eadem sunt causæ?

Q. Gaudent facultate cognoscendi? **R.** Ea-dem est utrobique ratio, idem effectus spectabilis cognitionis, ac in homine: ergo.

Q. Pollent facultate imaginandi? **R.** Utique: imaginatio est facultas sensationes prä-teritas renovandi: hæc est in bestiis.

Q. Ergo et memoriam habent? **R.** Habent reminiscientiam, nam excitato phantasma-te, recognoscunt, cognoscunt cubilia, ni-tus &c.

Q. Habent intellectum? **R:** Minime: nam intellectus est facultas, qua notiones di-stinctas formamus, separando, aut confe-rendo notas objecti, quo carent bruta,

- non enim formant ideās abstractas.
- Q. Deus potuit creare machinas, quæ operentur quod in brutis. R. Potuit; sed non concluditur, et fecit.
- Q. Ergo crudelitatis arguitur Deus, qui tot laboribus, et morti eas subjecit. R. Deus concessit dominium in brutis, quia voluit, sed non ideo est crudelis, quia satis compensantur dolores brutorum cum voluntatibus.
- Q. Si in brutis est cognitio, etiam intellectus ac judicium, et ratiocinium; nam ab effectibus cognoscitur. R. Ab effectibus, quia nulla evincens contraria ratio appetet in bestiis.
- Q. Negamus brutis intellectum, quia loquela non habent, quia artes novas non inveniunt, quia constans est modus operandi, hæc falsa sunt; quia loquela pendet à conformitate organorum, et bruta suo modo vocabula erunt ut latratus, mugitus &c. et animalia docent homines. R. Voces aut editus animalium rationem non habent, cætera eorum rationem non probant.
- Q. Plura sunt quæ ratiocinium probant in brutis; ut canis qui tertiam viam arripit formando syllogismum. R. Hoc ratiocinium fit ab homine observante, non à cane, qui ex odore tertiam arripit.
- Q. Ergo bruta non nisi singularium ideas for-

mare possint. R. Ita est; carent libertate, quæ est exercitium rationis: motus eorum procedunt à facultate appetendi non à ratione.

Q. Cujus generis sunt animæ brutorum. R. Ignoratur num sint spirituales, num corporeæ; sed qui materialem putant, materiæ percipiendi, et cogitandi facultatem tribuunt.

Q. Nihil est in brutis nisi corporeum, sed cogitatio non est corporea, nec extensa, metiri enim non potest &c. R. Perceptio est extensa et corporea, nam nihil nisi imagines corporeas percipiunt, imago extensa est et figurata.

DISSERTATIO QUARTA.

Theologia naturalis.

CAPUT I.

Existentia Dei.

Q. Quid est ens necessarium? R. Principium, ac ratio sufficiens rerum omnium, quod Deum nuncupamus.

Q. Fuerunt qui existentiam Dei negarunt. R. Athæi ore, non corde.

Q. Existentia Dei probatur firmissimis rationibus? R. Utique: 1. Existunt entia contingentia, ut mundus, anima nostra &c.: ergo debent esse ab alio: hoc aliud ab alio, donec perveniamus ad ens, quod non sit ab alio, sed a se; ac proinde necessarium, seu Deum. 2. Omnia entia creatae ad unum finem conspirant: haec conspiratio constans ac perpetuo conservata, casu evenire non potest: ergo ab alia causa; haec non potest esse nisi ens perfectissimum, seu Deus; ergo. 3. Consensus omnium gentium, quasi lex naturae putanda est: Cicero ait, quod nulla gens est tam fera, neque tam immanis, quae etiam si ignoret qualem Deum habere debeat, tamen habendum sciat.

Q. Medium demonstrationis debet esse necessarium, entia, per quae fit demonstratio, sunt contingentia: ergo. R. Medium demonstrationis debet esse necessarium necessitate conexiois, non existentiæ.

Q. Existentia entis contingentis non connectitur cum existentia entis necessarii, esset enim illud etiam necessarium. R. Ens contingens non est connexum necessario, sed hypothetice.

Q. Inter finitum quale est creatura, et in-

finitum ut Deus, non datur proportio. R.

Non datur proportio entitatis, sed dependentiae, quæ sufficit ad demonstrationem.

Q. Opus finitum non probat auctorem infinitum. R. Probat, quo ad essentiam, exigit enim potentiam infinitam, qualis est virtus creandi.

Q. Ens simplex aut omnino cognoscitur, quia nullas habet partes; aut nullo modo. R. Aut omnino, aut nullo modo objective, est certum; sed non ex parte intellectus nostri, aut subjective.

Q. Apud varias gentes sunt variæ notiones boni et mali, necant parentes &c. R. Notiones primitivæ non sunt variæ, sed solum derivativæ, sive male applicant prima principia.

CAPUT II.

De attributis Dei.

Q. *¶ A* qua notione deducuntur attributa Dei?

R. A notione entis necesarii, quod ens a se vocant; sic Deus habet necessitatem existendi.

Q. Quid sunt attributa Dei? Proprietates illæ, quæ ex essentia divina profluere percipiuntur, et sunt possitiva et negativa.

- Q. Quæ sunt attributa possitiva? R. Quæ vocabulis possitivis nuncupantur v. gr. sapientia, providentia &c.
- Q. Negativa? R. Quæ licet rem possitivam denotent, propter egestatem, per vocabula negativa explicantur v. gr. infinitas, infinitas &c.
- Q. Quid sunt attributa absoluta? R. Quæ nullum ad res respectum habent, ut æternitas.
- Q. Relativa? R. Quæ dicunt relationem ad alias res, ut misericordia.
- Q. Efficientia? R. Quæ respectum habent ad operationem, ut omnipotētia.
- Q. Inefficientia? R. Quæ solum ad divinæ naturæ perfectionem attinent, ut simplicitas.
- Q. Deus est æternus? R. Utique: nam ens necessarium semper existit, ac proinde est æternum.
- Q. Quid est æternitas? R. Interminabilis vi-
tae tota, simul et perfecta possesio; seu in qua nihil præteritum et futurum con-
cipere licet; sed omnia sunt simul, et
semel, fuerunt et erunt.
- Q. Deus est infinitus, simplex &c? R. Vide
§. 6. de necessario, ubi tractando de ente
a se, expenduntur omnia Dei attributa.
- Q. Si Deus est omnipotens quomodo non ex-
tenditur ad impossibilia? R. Quia esset

absurda operandi potestas, et non opera-
retur perfectissime.

Q. Datur distinctio realis inter attributa di-
vina? R. Minime; nam si daretur, Deus
esset compositus, nam constaret partibus.

Q. Datur distinctio rationis? Utique: nam
intellectu percipimus misericordiam, ut
distinctam à justitia, et hæc notio est
distinctio intellectualis.

CAPUT III.

De intellectu divino.

Q. **I**ntellectus divinus se extendit ad omnia
quæ possunt cognosci? R. Ita est: nam
facultas intelligendi est perfectio, ac o-
mnia comprehendere oportet, est enim infi-
nitus et ilimitatus.

Q. Deus habet scientiam omnium in gradu
eminenti? R. Utique; nam si non haberet,
eius intellectus non esset perfectissimus.

CAPUT IV.

De voluntate Dei.

Q. **D**eus habet perfectissimam voluntatem?
R. Utique: habet intellectum perfectissi-
mum; ergo cognoscit bonum: sed bonum

est objectum voluntatis: frustra enim habet cognitionem boni, si prosequi illud nequirit.

Q. Voluntas Dei est libera? **R.** Utique: libertas est perfectio: ergo. Si Deus liber non esset, nihil esset contingens: nam ratio existentiæ contingentium esset necessaria, æterna &c.

Q. Voluntas Dei est immutabilis? **R.** Utique: Deus enim est immutabilis: ergo voluntas: mutatio in homine pendet ab ejus limitatione.

Q. Ergo omnia necessario evenient? **R.** Minime necessitate antecedente, bene vero consequente.

Q. Deus est sapientissimus in suis decretis? **R.** Utique: nam sapiens agit propter finem: sed ex ordine rerum omnium constat ad unum finem tendere.

Q. Deus vult hominum felicitatem? **R.** Utique; nam desiderium felicitatis est innatum homini, nec malum ut tale appetit: hic connatus à Deo impressus non ad alium finem est inditus, quam ut illam requirat: dedecret Deum vocare hominem ad felicitatem, quam non vult concedere.

Q. Cur ergo tot mala in mundo? **R.** Malum physicum non est malum nisi relate ad

partem: morale autem non vult, sed permittit: multa bona tollerentur, si non permetteret malum.

Q. Deus debet dare leges, quibus felicitati consulatur? Utique; Deus vult felicitatem hominum, quam sine legibus obtinere non possunt: homo est limitatus, obnoxius errori, liber ad operandum quod ad felicitatem pertinet: ergo necessaria est lex naturae humanae dictata, qua felicitati consulatur.

CAPUT V.

De Deo creatore, et conservatore.

Q. Quid est producere? **R.** Facere aliquid de novo sui, seu extrahere aliquid de nihilo tam sui, quam subjecti.

Q. Quid est eductio? **R.** Productio ex nihilo, sed non ex nihilo subjecti.

Q. Deus creavit ex nihilo omnes substancias? **R.** Utique, nam nullum ens contingens habet in se rationem sufficientem existendi: ergo ab statu non existendi ad existendum debet transferri: haec translatio est creatio ab alio: hoc tantum fieri potest ab ente necessario, seu Deo, qui habet potentiam infinitam.

- Q. Quid est conservatio? R. Continuata existentia entis jam producti.
- Q. Quotuplex est modus conservandi? R. Duplex: directe, et indirecte.
- Q. Quid est conservatio directa? R. Positiva voluntas rei existentiam conservandi.
- Q. Indirecta? R. Remotio impedimentorum, quibus destrueretur.
- Q. Deus conservat res hoc dupli modo? R. Utique: nam res creata quolibet instanti suae conservationis, adeo dependet a manu Dei, qui eam creavit, ut cessante, redigeretur in nihilum.
- Q. Creatura semel existens debet perseverare, nisi Deus vellit eam destruere? R. Minime: nam creatura habet existentiam dependentem a Deo, itaque in quocumque momento addesse debet decretum positivum illam conservandi.
- Q. Artefacta semel finita non indigent conservatione artificis: ergo nec creatura. R. Comparatio non est recta: nam artefactum non habet ab auctore nisi modificationem materiae existentis a qua, et non ab auctore dependet; creatura vero habet esse a Deo, et sustentari.
- Q. Anima ut spiritualis corrumphi non potest, simul ergo producta debet perseverare. R.

Et quidem debet perseverare per decretum eam conservandi, sed non sine possitiva Dei conservatione.

Q. Quid est concurrere ad alterius actionem?

R. Suppeditare aliquid ex quo actio sequatur.

Q. Quotuplex est concursus? **R.** Duplex: generalis, et immediatus.

Q. Quid est concursus generalis, seu mediatus? **R.** Ille quo Deus res semel creatas permitteret ipsis, ut cæteras actiones pronatu agerent, quin Deus influeret.

Q. Immediatus seu simultaneus? **R.** Est ille, in quo non solum conservat res creatas, verum concurrit ad omnem actionem, et ad illam, vi a Deo accepta.

Q. Deus concurrit concursu simultaneo ad omnes actiones creaturarum? **R.** Utique; nam tam facultas operandi, quam exercita sunt perfectiones, sed a Deo dimanat omnis perfectio: ergo. Creatura quovis momento a Deo conservatur: ergo ab eo accipit vim agendi.

Q. Si Deus concurreret immediate produceret actiones pravas. **R.** Physice, sed non moraliter.

Q. Si homo concurreret ad actionem pravam, tribueretur ei; pariter si Deus concurrit.

R. Tribueretur homini quia est causa singularis, non Deo, qui est causa universalis.

Q. Actio Dei et creaturæ, est eadem actio: ergo si creatura peccat, etiam Deus. R. Est eadem actio relate ad effectum producendum, sed non ratione modi ac principiū agendi.

Q. Intelligi non potest quomodo Deus concurrat in causis liberis? R. Deus movet voluntatem hominis, ut universalis motus, quod est bonum: sed homo per rationem determinatur ad yelle hoc vel illud, bonum verum, vel apparens, ubi potest esse malitia.

Q. Talis concursus determinatur à creatura, ergo non est simultaneus? R. Determinatur in statu conditionato, non absoluto.

Q. Actio determinans, qualis est actio creaturæ, est prior determinata, ergo non est simultaneus concursus. R. Et certe actio determinans et independens, est prior determinata, non vero subordinata qualis est creaturæ.

Q. Jam ergo penderet Deus à creatura determinante. R. Dependeret à creatura agente vi accepta à Deo, et ipsi subordinata, non virtute independente à Deo,

CAPUT VI.

De Deo Providente.

- Q.** Quid est providentia? **R.** Ratio ordinis partium in toto et in fine: et est duplex: universalis, et specialis.
- Q.** Quid est providentia universalis? **R.** Quæ curat generaliter de universo.
- Q.** Specialis? **R.** Quæ curat administrationem singulorum entium.
- Q.** Datur in mundo Dei providentia? **R.** Utique: Deus pollet infinita scientia possibilia ac futura comprehendente; sapientissimus est in decretis, media apta ad finem disponens, conservat entia creata, concurrens ad singulas actiones: ergo.
- Q.** Si Deus esset providens, cunctis imperitiret notitiam præceptorum; sunt nationes quæ more belluarum vivunt: ergo. **R.** Generalis notio præceptorum necessaria est; illam habent barbari, etiam si illius obliviscantur.
- Q.** Indignum videtur Deum curare de culicibus. **R.** Non est ridiculum, deserviunt enim ad finem à Deo ordinatum; non minus ac qui videt in machina partem exigua, quia ussum ignorat, non eam otio-

sam judicare debet, fortassis erit magni momenti: pariter de rebus minimis ita iudicandum est.

CAPUT ULTIMUM.

De Deo religiose colendo.

§. 1. *De Religione generatim.*

- Q.** Quid est Religio? **R.** Cultus amoris, honoris et obsequii exhibitus ei cui debetur, et est duplex naturalis, et revelata.
- Q.** Quid est Religio naturalis? **R.** Quæ continent omnia quæ ad Dei cultum natura duce, ac rationis, lumine pertinere cognoscimus.
- Q.** Revelata? **R.** Est ea, quæ præter ea quæ natura duce, Deo exhibenda cognoscimus, extenditur ad illa, quæ Deus revelavit ad cultum spectantia.
- Q.** Debetur Deo Religio? **R.** Utique: Deus est ens supremum, causa rerum omnium: debetur ergo amor: est infinitus in omnipotenti perfectione: debetur ei honor: est supremus Dominus omnium: debetur et obsequium: hæc tria constituant Religionem: ergo.
- Q.** Existit Religio naturalis? **R.** Utique: et omnes compotes rationis obligati: nam Deo debetur Religio, (ut dictum est), non ab

alio , quam à creatura ; ergo : Deus est providens : debuit ergo providere his, quæ ad obsequium præstandum sunt necessaria , quale est lumen rationis ea dictans.

Q. Religio vera debet esse tantum una ? **R.** Utique : nam diversitas oriretur , vel à multiplicitate objecti veri cultus , vel à diversitate cultorum , quibus Deus rite colitur . Primum non , quia Deus est unus : non secundum , nam diversitas cultuum esset aut non conformis rationi : si non esset , deficeret à vera Religione : si esset conformis , non induceret varietatem essentialem , esset modificatio accidentalis , et pars veræ Religionis : ergo .

Q. Præcepta naturalia , quæ constituunt Religionem practicam , obligant ? **R.** Utique : nam si extat Religio naturalis , præcepta promulgata sunt omnibus : ergo obligant .

Q. Numera Religionum sectas . **R.** *Athæi* negant existentiam Dei , ac proinde Religionem . *Deistæ* nullum aliud dogma admittunt præter existentiam Dei . *Naturalistæ* , providentiam admitunt , ac legem quandam naturalem . *Epicurei* , nullam admitunt Religionem præter illam quam Vellejus profitetur , negant providentiam . *Polyteistæ* , qui tot Religiones statuunt quos Deos ado-

rant. *Manichæi*, qui duo principia agnoscunt, bonum et malum. *Panthæistæ*, qui complectunt omnia absurdæ: et hæc omnes falsæ sunt.

§. 2. *De Religione revelata,*

Q. Religio revelata est possibilis? **R.** Utique: non enim appetet repugnantia, in eo quod Deus ostendat aliquas veritates, ritus &c. ad cultum spectantia, hæc est Religio revelata: ergo est possibilis.

Q. Propter Religionem naturalem, est etiam necessaria Religio revelata? **R.** Utique: homo enim assequi non potest plura, quæ ad Religionem naturalem spectant sine revelatione: debet ergo aliud lumen resplendere, ut ad finem perducatur, et illum obstineat: hæc est revelata: ergo.

§. 3. *De Religione Christiana.*

Q. Gesta Christi quam fidem merentur? **R.** Quam probatissima alia quæque ad tempora nostra perlata: nam ea de causa annales græcos, latinos Polibii, Cæsaris, Libii historiam omnes accipiunt, quia vel ab occultatis testibus, vel a publicis mo-

numentis referuntur quæ ab omnibus coevis recipiuntur, et comprobantur: historia Christi iisdem caracteribus est ornata: nam quomodo hæretici antiqui, qui divinitatem tollebant, nunquam Evangelii libros ut appocriphos asseruerunt, nec in dubium revocarunt &c.

Q. Potest quis prudenter dubitare Christum esse Deum? **R.** Nemo quidem: nam gesta Christi merentur fidem; ea in hoc unum conspirant, ut Christum Deum esse ostendant.

Q. Religio Christiana est vera et a Deo revelata? **R.** Utique: vera est historia Christi; haec ostendit verum Deum esse; ergo ejus doctrina debet esse revelata. Idem ostendunt miracula a Christo et discipulis patrata, propagatio fidei &c.

Q. Igitur sola Religio Christiana pro vera habenda est, quam omnes amplecti tenemur. **R.** Ita est: nam unica tantum Religio vera esse potest: Religio Christiana vera est, ergo. Deo debetur Religio; solum vera est revelata a Deo, cum absurda sit indifferentia Religionis: ergo omnes illam amplecti tenemur.



FINIS.



